



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Refutatio Accusatoris Anonymi Damnatas ab Innocentio
XI. Propositiones adscribentis Ordinum Religiosorum
Theologis ac præcipuè Societatis Jesu**

Estrix, Aegidius

Moguntiæ, 1679

Præfatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42472

PRÆFATIO.

Ex quo tempore perlatum est in Belgium Decretum Innocentii XI. conditum die 2. Martii 1679. quo 65. Propositiones damnantur ut minimum tamquam scandalosæ, & in praxi perniciosæ ; nullus toto Belgio crebrior fuit sermo , quam de autoribus illarum propositionum Theologis Religiosis , ac præcipue Jesuitis. Famæ tam perversæ tam multi , tamenque validi extitere buccinatores , ut nusquam non sint auditæ , nusquam non crediti tam vera nuntiare , quam clamosè.

Ego quidem ad hæc sustinui me , ne quid temere assentirer , negaremve ; optavi tamen fateor , videre quiddam scripti , quo mihi demonstraretur , quam verè , falsòve id illi proclamarent. Tandem vero ad me pervenerunt quædam paginæ , quibus 65. Propositionum non paucæ , versæ Flandricè , erant inscriptæ , adnotatis ad marginem Autoribus singulorum theologis Religiosis , ac præcipue Jesuitis , simulque intellexi , hunc libellum accusationis oriundum Brugis , vulgi manibus ubique teri in Flandria , atque inde manasse

* 2

Brux-

P R A E F A T I O.

Bruxellas, avideque describi ac dissipari etiam
per Brabantiam.

Ut accepi, legi: primumque legentem
ut non eram omnino rudis Theologiæ illorum
Autorum qui accusabantur, offenderunt im-
posturæ non paucæ. Inde factus curiosior
adivi, quoad licuit, Autores singulos, q
patroni damnatis propositionibus adscribentur:
comperi verò, accusatorem cœco impa-
prosiliisse ad accusationem eorum, quos oderat
& nullo judicio reos egisse, quos damnatus
optabat: ac ne quidem satis cautè usum esse
Epistolis infamibus, damnatisque ecclesiastis
cā pariter ac civili autoritate, Ludovici Mon-
taltii, & notis Wendrochii in easdem nihil
melioribus (sed una cum suis Epistolis carnifi-
cis manu crematis in Gallia) & forte Saüle Ex-
rege Joannis Sinnichii (hæc enim videtur esse
præcipua ejus supellex libraria) ac denique ho-
minem in amaritudine fellis totum fuisse, cum
libellum illum accusationis populo scriptum

Hoc ut pateret amantibus veritatem, con-
jeci in hasce paginas, quæ mihi occurserunt
animadversione digna, libros ipsos autorum,
qui accusabantur, adeunti, quoad fieri po-
tuit, penitusque exploranti corum doctri-
nam. Ordinem Propositionum secutus sum,
quem mihi delineavit accusator: eas propo-
sitiones præterivi, quas præterivit ipse, non
ha-

PRÆFATIO.

habens in promptu, quem accusaret: eorum
verò, quos accusavit, præterivi neminem,
eandem gratiam paratus cæteris præstare, si
quos alios mihi reos stiterit. Unum certissimò
scio me posse confidere, nuperum Decretum
Innocentii XI. adeoque Propositiones ipsas
65. nihilo magis pertinere ad Religiosos illos,
quibus apud plebem hoc tempore invidia con-
citatur à malevolis, quam ad alios Theolo-
gos omnis generis, etiam Lovanienses Do-
ctores.

Non est obscurum percurrenti proposi-
tiones ipsas, hoc egisse earum collectores, &
concinnatores Lovanienses, ut invidiam con-
flarent quibusdam Religiosis: cum non raro
conceptas ipsorum verbis, et si fere alteratis ma-
lignâ truncatione, additione, omissione, avul-
sione a contextu libri, vel Thesiū, retulerint in
Catalogum S. Sedi offerendum ad censuram:
in quo numero etiam sunt, quas suorum Aca-
demicorum verbis referre potuissent haud mi-
nus commodè. Non potuit Romanos Cen-
sores latere hæc infirmitas accusationis, quam
& leviter perito Moralis Theologiæ facile erat
notare. Sapientissimè igitur caverunt, ne cen-
sura ipsa ad invidiam pertineret eorum, qui
id non essent commeriti.

Caverunt autem primùm quidem disertè
exprimendo in Decreto, propositiones con-

* 3 dem-

P R Æ F A T I O.

demnari, sicut jacent; haud ignari, non raro
eas aliter jacere in libris, Thesibus, aliisue
scriptis, quam jacerent in Decreto; etsi ver-
bis valde similibus utrobique jacerent. Procul
ab hoc Decreto solemnis clausula Romano-
rum Pontificum alibi condemnantium propo-
sitiones *in sensu ab assertoribus intento*.

Caverunt idem 2. disertè monentes 65
propositionum esse quasdam noviter adinven-
tas, quæ neque ex libris, neque ex Thesibus,
seu scriptis essent excerptæ. Ubi vero, quan-
do, à quibus illæ sint noviter adinventæ, non
est difficilis conjectura.

Sunt vero homines mirifici quidam hoc tem-
pore, qui Rom. Pontificum autoritatem, non
Decreto quopiā in S. Congregatione concep-
to, sed solemnibus Bullis condemnantium, ut
hæreticas propositiones Bajanas, & Jansenianas
& quidem *in sensu ab assertoribus intento*, elu-
dere, & explodere non erubescunt, causan-
tes facti quæstionem esse, an illas proposicio-
nes, vel illarum sensum contineat liber Bau-
aut Jansenii: Decreto autem Innocentii XI
condemnantis 65. propositiones, ut scanda-
losas; sed acceptas sicut jacent in Decreto
proclamare illico non dubitant condemnata-
esse illorum Theologorum doctrinam, qui-
bus sunt infensi. Quid illis facias, quibus
promptum æque est nervum incidere Aposto-

P R A E F A T I O.

licis Decretis , ac vim addere ampliorem ,
quam patientur ipsa ; idque ut fert affectus
animi amore , aut odio præoccupati ?

Istud verò quam vanum est , doctrinam
unius fortè , aut paucorum ex Ordine quo-
piam religioso , adscribi Ordini universo ,
& si quæ uspiam ex damnatis Propositionibus
religiosum Theologum habuerit autorem ,
exclamari illico , doctrinam Religiosorum il-
lius Ordinis , ad quem pertinuit ille , dam-
natam esse ? Incauti aberrare potuerunt etiam
Religiosi : neque hoc ad infamiam rapiendum
Ordinis totius , ac ne ipsorum quidem ; præ-
cipue si in errorem non tam iverint , quam
ducti sint à magni nominis Theologis omnis
generis , etiam Lovaniensibus Doctoribus .
De his Theologis taceri , atque his ignosci ;
illos verò lacerari , solius malevolentia est .

Licetne dicere , quænam hīc infamia nobis
sit detestanda , omnibusque modis fugienda ?
Illa ipsa quam affert animi refractarii confi-
dentia , & audacia , primùm quidem Ponti-
ficia Decreta , et si testatissima , detrectantis
agnoscere ut legitima ; tum verò fatigantis
Tribunalia omnis generis ne admittantur illa :
post omnia eludentis Decreta ipsa , & summæ
autoritatis Definitiones Apostolicas , nescio
qua facti quæstione , in qua errare potuerit
Christi Vicarius , atque interea dogmatibus

ana-

PRÆFATIO.

anathemate damnatis adhærentis mordicūs
Hanc infamiam avertet Deus à Religiosis Or-
dinibus , si eos salvos voluerit.

Quod verò etiam ad concionem popula-
rem jactatum audivimus , nullam ex damnata-
tis Propositionibus 65. pertinere ad Lovaniens-
es Doctores , est omnino commiseratione
dignum. Meā quidem non multum refert,
quid illi docuerint : quia tamen haud est ob-
scurum , invidiam præsentis Decreti à Lovanien-
sibus præcipue Academicis detorqueri in
Religiosos , captanda mihi fuit identidem oc-
casio explicandi , quid in materiâ Damnata-
rum Propositionum docuerint Lovaniensa
Doctores , ut dispiceret Lector , quantâ ra-
tione accusentur potissimum Religiosi ; illi
verò prædicentur integri , & intacti. Istud
quidem nunc egi modicè ; licebit verò idem
operosius , cum videbitur operæ pretium.

Est verò inanissima eorumdem gloriatio,
quâ jactant , magni quiddam momenti effi-
tentum à Lovaniensibus Doctoribus Ro-
manam legatis. Constat inter Propositiones 65
paucas esse , quæ Belgam Theologum ag-
noscant Autorem : atque harum bona
partem Lovanienses Theologos habuisse pa-
tronos. Constat nullam penitus esse inter
omnes , cuius condemnatio quiddam vel mi-
nimi momenti afferat illis Lovaniensium dog-
matibus

P R A E F A T I O.

matibus, de quibus contentio fuit in Belgio
annis superioribus, eritque, nulla spe pacis,
aut tranquillitatis, quamdiu quibusdam
Theologis licebit, vel libebit, Superiorum
Pontificum Bullas, & Definitiones à Cathe-
dra contra Michaëlem Baijum, & Cornelium
Jansenium, cludere injecta quæstione facti,
in qua errare illi potuerint, atque interea ea
docere, quæ liquet reipsa non differre à dog-
matibus damnatis: dum etiam in administra-
tione Sacramentorum ea Methodus placebit
iisdem, quam ignoraverunt Majores nostri.

Sed tu, Lector, interea, dum malevo-
lorum procacitas in viros Religiosos, nullum
solita modum tenere, videbitur postulare am-
pliorem tractatum in 65. Propositiones, gu-
stum hunc accipe, & statuere incipe, quam
vel tenui, vel nulla hypothesi indigeat odium,
& invidia, ut se efferat tam impotenter.



I M-